



extro eius latere litera T à sinistro F conspicitur, addita inscriptione tali: SOLI INVICTO COMITI. Sub eadem statua hoc scriptum: ATR.



TATIANVS ET IVLIVS fratres non fuerunt Imperatores, neque tyrannidem occupauerunt, sed à Martiano Imperatore, ob quædam in se beneficia, alter Constantinopoli, alter, Tatianus scilicet, Illyricis præfectus est. Nam cum Martianus in Lycia prima stipendia mereret, & illic ægritudine oppressus esset, eum abeuntem viatico ducentorum argenteorum (omnia enim consumpserat) prosecuti sunt. Cuius beneficii memor Martianus, iam Imperator factus, vtrunque ad eas dignitates euexit.



AVITVS Patricius Romanus à Senatu populóq; Rom. Imperator creatus, cum quo Martianus priùs, quàm moreretur, foedus, & societatem iunxit, vt in tantis Barbarorum motibus vtrunq; Imperium mutuo esset sibi inuicem auxilio, mutuóque fauore starent. Sed nec diu imperauit, vtpote qui apud Placétiam captus à Ricimere, & coactus purpuram exuere, paulò post rebus excessit humanis.